

Statuit ergo hic Theologus, nullum hominem viventem, sed diabolum esse inconvertibilem, idque ex hoc loco Ezechielis infert. Ex eodem loco *Dannhauerus* *Lactis Catechetici Part. VI. Conc. 24.* colligit, Deum nolle mortem peccatoris in Spiritum Sanctum. Atqui si ne quidem peccatores in Spiritum Sanctum hic excludi debent, nullus tam induratus erit, cujus mortem Deus velit. Quid? quod ipse *Autor Disputationis de statu induratorum* agnoscit, quod Deus Ezechiel. XVIII. v. 32. & Cap. XXXIII. v. 11. de voluntate sua gratiosa erga omnes antecedente loquatur. Si autem conferantur Adversariorum de voluntate antecedente hypotheses, haud difficulter demonstrari poterit, non dari in hac vita homines, quibus aditus ad conversionem fit à Deo planè præclusus. Sic enim argumentamur: *Quoscunque Deus voluntate sua antecedente salvos esse cupit, illi sunt convertibiles.* Atqui etiam induratissimos, quin & peccatores in Spiritum Sanctum Deus ex voluntate antecedente salvos esse cupit. *E. etiam induratissimi, quin & peccatores in Spiritum Sanctum, sunt convertibiles.* Major est *Autoris* *der ersten Verlage* pag. 36. Minor est *Autoris Epistole ad Rostenschierum* pag. 19. & 40. His autem præmissis positis Autor etiam conclusionem admittere tenetur, quæ ipsius sententiam de statu induratorum funditus evertit. Sin Conclusionem admittere recuset, necesse est, ut præmissarum alterutram retractet. Et miror sanè, quod minorem propositionem non jam pridem revocaverit. Etsi enim ea vera sit, palmarie tamen ejus sententiæ penitus refragatur. Siquidem *avsa* sunt, quod Deus induratissimos quosque voluntate antecedente salvos velit, & tamen iisdem omnem